



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de  
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non  
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

[§. II. Corollarium præcedentis doctrina.]

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)

ratione differunt præcepta juris divini & humani, naturalis & positivi, ecclesiastici & civilis: secundo ex parte objecti, seu rei præcepta; sicut distinguuntur præcepta quæ dantur de actibus diversarum virtutum, aut de actibus eiusdem virtutis specie diversis. Hoc præmissis, fit.

## §. I.

*Duplici conclusione difficultas proposita resolvitur.*

13. Dico primò, distinctionem specificam peccatorum sumi ex obiecto, in quod tendunt, non verò ex præceptis quibus opponuntur; subindeque distinctionem præceptorum ex parte principij, aut præcipientis, non diversificare peccata, neque multiplicare malitias. Ita D. Thomas hic art. 1. ubi sic concludit: *Unde sequitur quod peccata propriè distinguantur specie secundum objecta.*

14. Probatum primò ratione fundamentali. Peccata in ratione peccati, seu mali moralis, constituntur per ordinem & habitudinem transcendentem ad obiectum ut dissonum regulis morum, ut disputaione sequenti ostendimus: Ergo etiam distinguuntur & diversificantur specie ex ordine & habitudine quam dicunt ad objecta specie diversa. Consequentia patet, quia juxta Philosophos idem est constitutum & distinctivum rei, v. g. rationalitas quæ constituit hominem, ipsum distinguit ab aliis animalibus.

15. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Peccata constituuntur & distinguuntur per id quod se tenet ex parte conversionis, non verò per illud quod se tenet ex parte aversionis: Atqui peccata non respiciunt, neque attingunt præcepta ex parte conversionis, sed ex parte aversionis, bene tamen objecta: Ergo &c. Minor est evidens: nam ille qui peccat non convertitur ad legem vel præceptum, sed ad obiectum contrarium legi, & prohibitum per illam; à lege verò & ab eius præcepto separatur & avertitur; sicut qui convertitur ad unum contrarium, avertitur & recedit ab alio. Major verò suadetur: Primò quia specificatio rei, subindeque ejus distinctio ab omnibus aliis, debet attendi secundum illud quod est in ea per se intentum & à natura, & ab operantibus, & non secundum illud quod est in ea per accidens: Sed ea quæ in peccato se tenent ex parte conversionis, per se à peccato intenduntur; ea verò quæ se tenent ex parte aversionis, intenduntur solum per accidens, cum nemo intendens ad malum operetur, ut ait Dionysius cap. 4. de divinis nominibus: Ergo &c. Secundo probatur Major: quia motus non specificantur, neque distinguuntur ex termino à quo, sed ex termino ad quem, ut docetur in Physica; & idè licet terminus à quo specie differat, si tamen terminus ad quem ejusdem sit rationis, motus sunt ejusdem speciei: Sed ea quæ in peccato se tenent ex parte aversionis, se habent per modum termini à quo, quæ verò se tenent ex parte conversionis, per modum termini ad quem, ut patet: Ergo peccata constituuntur & distinguuntur per id quod se tenet ex parte conversionis, non verò per illud quod se tenet ex parte aversionis.

16. Probatum secundo conclusio, & magis adhuc ostenditur, distinctionem peccatorum non sumi ex diversitate præceptorum, quando illa se tenet solum ex parte principij, aut præcipien-

tis. Futurum prohibetur de facto lege divina & humana, & tamen non est nisi unicum peccatum. Item in Decalogo furtum & adulterium prohibentur præceptis, quæ diversa sunt ab eis, quibus prohibetur interius desiderium furandi & moechandi; & tamen non idcirco differunt specie desiderium furandi, & furtum, neque adulterium & desiderium adulterandi, cum actus exterior non addat malitiam specie diversam interiori: Ergo diversitas præceptorum, quæ se tenet solum ex parte principij aut præcipientis, non sufficit ad distinguenda peccata.

Dico secundo, distinctionem præceptorum ex parte rei prohibita, vel ex parte motivi prohibendi, inferre distinctionem specificam inter peccata.

Hæc assertio patet ex dictis in præcedenti: Nam quoties præcepta differunt ex parte rei prohibita, vel ex parte motivi prohibendi, peccata illis opposita habent distinctum obiectum, vel motivum: Ergo cum ab objectis & motivis peccata specificantur & distinguuntur, consequens est, ut præcepta ita distincta inferant specificam distinctionem peccatorum. Nomine autem motivi intelligimus motivum proximum & intrinsecum, quod dicitur motivum præcepti & operis, non verò motivum extrinsecum operantis & præcipientis: cum enim istud motivum non cadat sub præcepto, nec præcepta ex vi sua illud respiciant, ex ejus diversitate non deducitur diversitas specifica peccatorum, nisi fortè peccans directè intendens contra talia motiva operari.

## §. II.

*Collarium præcedentis doctrina.*

EX dictis inferes primò, quod violenta percussio clerici, aut effusio sanguinis in loco sacro, duplicem induit speciem malitiae, injustitiae scilicet & sacrilegij: quia hujusmodi actus jure naturali & positivo prohibentur ex duplici motivo specie diverso, nempe ex motivo justitiae, à jure naturali; & ex motivo Religionis, à jure positivo Ecclesiastico.

Inferes secundo, quòd si Religiosi, qui ex voto tenentur abstinere à carnibus (ut R. P. Mini mi; qui quartum votum utendi perpetuò cibo quadragesimali emittunt (ferià sextà, vel tempore quadragesimæ, carnes comedant, duplex peccatum committunt, unum intemperantiae, & aliud sacrilegij: quia hujusmodi actus duplici præcepto diverso motivum habente prohibetur; nempe præcepto Ecclesiastico & divino, quorum primum est ex motivo abstinentiae, secundum ex motivo religionis. Idem cum proportione dicendum de Franciscanis, qui ex præcepto suæ regulæ tenentur ad jejunandum feriis sextis: cum enim vovent observare regulam, si in aliqua sexta feria, in qua ex præcepto Ecclesiæ jejunare tenentur, non jejunent, duplici peccato mortali specie diverso se obstringunt, quia peccant contra duplex præceptum habens motivum specie diversum; motivum enim præcepti Ecclesiastici est motivum abstinentiae; motivum verò præcepti contenti in regula est motivum religionis, quia hoc præceptum non obligat, nisi ratione voti obedientiae, aut observandi regulam, in professione emissi. Unde alii Religiosi, qui tale votum non emittunt, sed regulam more alie-

rius legis utuntur, atque adeo ex motivo solius abstinentiæ ad tale jejuniu obligantur, nequam in fractione prædicti jejunii duplex peccatum committunt.

<sup>20</sup> Inferes tertio, quod si præcepto Ecclesiastico addatur præceptum Confessarii, imponentis jejunium v.g. ab Ecclesia præceptum in poenitentiam peccatorum, omisso illius habet duas malitias specie diversas, propter diversitatem præceptorum jejunium præcipientium sub diversa ratione & motivo, temperantiæ scilicet & poenitentiae.

<sup>21</sup> Inferes quarto, quod ille qui in festo alicujus Sancti occurrente in die dominica; omittet factum, aut in vigilia S. Matthiae, quando occurrit in quadagesima, non jejunare, duo peccata non committeret, quia utroque præcepto præcipitur tunc auditio sacri, vel jejunium ex eodem motivo religionis aut temperantiæ.

## S. III.

## Solvuntur objectiones

<sup>22</sup> Objicies primò contra primam conclusionem: Peccatum mortale & veniale differunt specie, & tamen versantur interdum circa idem objectum, ut patet in venialibus ex defectu perfectæ deliberationis, aut ex parvitate materiae: Ergo distinctio specifica peccatorum non sumitur ex objecto

Respondent aliqui, peccatum mortale & veniale, quando versantur circa idem objectum, esse ejusdem speciei essentialis in ratione peccati & malimoralis, & differre solum accidentaliter, seu specie accidentali, in ratione mortalis & venialis, quatenus unum privat hominem gratiã & charitate, subindeque mortem spiritualem infert animæ, non verò alterum; sicut equus albus & niger specie accidentali differunt, si considerentur formaliter in ratione colorati, & conveniunt univoce & essentialiter in ratione animalis.

<sup>24</sup> Hæc solutio probabilitate non caret. Probabilior tamen, & in schola D. Thomæ communior est sententia, quæ asserit peccatum in ratione mali moralis essentialiter dividi in mortale & veniale, adeoque nullum veniale, cuiuscumque conditionis sit, esse per se in eadem specie cum aliquo mortali. Nec obstat quod interdum versentur circa idem objectum materialiter & in esse physico: nam, ut infra ostendemus, cum agemus de peccato mortali & veniali, tale objectum semper distinguitur formaliter in ratione objecti; quod sufficit ad causandam distinctionem specificam inter illa peccata.

<sup>25</sup> Objicies secundò: Quædam peccata alia excedunt in gravitate & malitia essentiali, licet versentur circa objectum minus grave; & minus malum: Ergo malitia essentialis & specifica peccatorum non desumitur ex objecto. Consequentia patet, Antecedens probatur duplici exemplo. Nam occisio Christi fuit gravius peccatum, quam blasphemia, vel odium Dei, ut docent S. Thomas 3. p. quæst. 47. art. 6. & tamen primum est contra humanitatem Christi, secundum contra Divinitatem. Item perjurium, vel blasphemia; est peccatum minus grave, quam homicidium, & tamen habet objectum gravius, cum sit contra Deum & cul-

tum ei debitum, homicidium verò contra proximum.

Respondeo negando Antecedens. At cujus primam probationem dictum est, peccatum crucifigentium Christum non solum fuisse immediate contra ejus humanitatem, sed etiam contra Divinitatem & Personalitatem: nam verè Dei Filius, in divina & humana natura subsistens, fuit occisus & crucifixus in humanitate assumpta: unde in hoc convenit tale peccatum cum odio Dei, quod est immediate contra Deum, & aliunde illud excedit; quia odium Dei nullum nocuum infert Deo, peccatum verò crucifigentium Christum, magnum nocuum infert ipsi, nempe mortem turpissimam, & acerbissimos dolores.

Ad secundam probationem respondeo ex D. Thoma quod l. 9. art. 1. blasphemiam, perjurium, & alia peccata quæ religioni opponuntur, esse graviora simpliciter homicidio; quamvis istud secundum quid & accidentaliter sit gravius, quia infert damnum irreparabile homini, ipsum privando vitâ temporali. Nec obstat quod homicidium gravius puniatur in republica, quam perjurium vel blasphemia: nam ut ibidem ait S. Doctor, *In judicio humano non semper quantitas pene respondet quantitati culpe: interdum enim infligitur major pena pro minori culpa, quando gravius nocuum imminet hominibus ex minori culpa: sed secundum Dei judicium gravius culpa graviori pena puniatur*

Objicies tertio; D. Thomas q. 2. de malo art. 6. dicit, *Quod si aliqua essent peccata solum quia prohibita, in his rationabile esset, ut secundum differentiam præceptorum specie peccata differrent.* Ergo ex D. Thoma distinctio specifica peccatorum quæ sunt contra jus positivum, non sumitur ex objectis in quæ tendunt, sed ex præceptis quibus opponuntur.

Respondet Cajetanus, D. Thomam hic art. 6. mutasse sententiam. Sed hæc solutio displicet, cum S. Doctor talis mutationis aut retractationis nullam faciat mentionem. Quare melius responderetur, ipsum loqui de præceptis, quæ sunt diversa non solum ex parte principii aut præcipientis, sed etiam ex parte rei præceptæ, aut ex diversis finibus & motivis. Unde hoc testimonium S. Doctoris non militat contra primam conclusionem, sed secundam statuit & confirmat.

Objicies quarto: Peccatum ex eo est moraliter malum, quod dicit difformitatem ad leges quæ sunt regulæ morum: Ergo cum dicit difformitatem ad leges specie diversas, ut sunt lex divina naturalis, & humana, erit in diversis speciebus malitiæ moralis.

Confirmatur: Quando peccatum opponitur diversis legitur, violantur diversæ obligationes: unaquæque enim lex suam obligationem imponit, & omnes per prædictum peccatum violantur: Ergo dantur in illo plures malitiæ: malitia enim nihil aliud est quam violatio legis.

Ad objectionem respondeo, concessio Antecedente, distinguendo Consequens: cum dicit difformitatem ad leges specie differas formaliter, & ex parte rei prohibita, concedo: ad leges materialiter solum, & ex parte legislatoris diversas, nego. Quamvis autem lex divina, naturalis, & humana, naturaliter, & ex parte principii, seu legislatoris specie, differant, non tamen formaliter, & ex parte rei prohibita;